

tiosissimo; ut Sua Majestas aliquem idoneum hominem in hoc Regno conservare dignetur, qui pro singula quarta parte anni castra finitima (assumpto penes se Capitaneo Regni) perlustrare, revidereque, ac defectum eorum reformare; vel illi, cui opus fuerit, recitare debeant.

Signa adventus Turcarum edenda.

A rt i c u l u s 8.

Conclusum est etiam: Ut dum incursiones Turcarum accesserint, quae Regno et vicinis Provinciis Australibus nocivae esse possent; omnes et singuli Domini, atque Nobiles vicini, per ictus et sonitus bombardarum, ac per flamas ignis, et alia omnia signa, quae fieri poterunt, eisdem Provinciis significare, sub pena in Decreto expressa, debeant et teneantur.

Banis quaedam commendata.

A rt i c u l u s 9.

Caetera vero, quae ad fortificationem confiniorum; ad excubias, ad vigilias et custodiam Regni pertinere, et non manifestanda videbantur; commendavimus Dominis Banis.

Nobilium et Sacerdotum domus a condescensione militum immunes.

A rt i c u l u s 10.

Gentes et stipendiarii quorumcunque, in domibus, ac curiis Dominorum et Nobilium, ac etiam Plebanorum; nullibi condescendere audeant, neque praesumant.

Victualium cura.

A rt i c u l u s 11.

Supplicandum etiam est Regiae Majestati; ut Sua Majestas dignetur mittere in hoc Regnum unum Magistrum victualium, qui hujus rei, seu officii peritus sit:

§. 1. Penes quem parati sumus nostrum hominem conservare, qui curam victualium, et aliarum ejusdem generis necessitatum habeant et gerant.

Pro commeatu currus parati habeantur.

A rt i c u l u s 12.

Omnes Domini Nobiles et Regnicolae, de singulis viginti fumis, penes numerum dictionis computando, unum currum paratum semper, et victualibus oneratum tenere, et ad exercitum, ac loca depositionis, prout Magister victualium jusserrit, conducere debeant.

§. 1. Quae quidem victualia, juxta limitationem exinde fiendam, pretio dividenda erunt.